

Augustin Balthasar von

**Programma, Quo Rectore Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino,
Domino Adolpho Friderico IV. Duce Megapolis Regnante ... Ad Festum
Archangeli Increati Michaelis Pie Ac Devote Celebrandum, Imitando Studium
Angelorum Aliis Inserviendi, Cives Academix Peramanter Invitat, Excitat**

Gryphiswaldiæ: Stannis Struckianis, [1753]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1861182457>

Druck Freier  Zugang





N. N. — 2 (13~~7~~.)

1. Hainricus de iurisdictione Carisburgensis, de iurisdictione huiusmodi collectorum historiae et iuris patrii vespian Aliprandus Gabrielus Graft.
2. ^{maled} ~~maled~~ de iurisdictione Carisburgensis Gabrielus Graft, de iurisdictione huiusmodi collectorum historiae et iuris patrii. Graft.
3. Huda, quodam bupis Aliprandus de Graftus, non Balthasar.
4. In Mittel u. im Pongau del. Hansfall iusan Aliprandus de iurisdictione huiusmodi collectorum historiae et iuris patrii. Graft.
5. Hainricus de iurisdictione Carisburgensis, de iurisdictione huiusmodi collectorum historiae et iuris patrii. Graft.
6. Balthasar, de legato.
7. Balthasar, de eo, quod iustum est circa mystias.
8. Balthasar, program ad Haselberg disputat: de contractibus et act. bonae fidei et str. iuris.
9. Balthasar progr. ad Starmann disput. de praerogativa iuris germanici praeter iure romano, in materia pactorum dotalium.
10. Balthasar progr. ad Fischer disp. de pecunia asservationis in contractu locationis cond. soluta, eiusque in Concursu Crediti iure.
11. Balthasar progr. ad Dyen disp. de usufructu paterno in iudicis familiarum familias.
12. Balthasar progr. ad Rudol. disp. de indole genuina simultanea i. Germ. investiturae cum longobardica collatae.
13. Balthasar progr. ad Hefo disp. de iure principis circa baptismum.
14. Balthasar progr. ad Balthasar disp. de iure peregrinorum singulari in processum.
15. Balthasar progr. ad ab Joen disp. de vi matrimonii consummati.
16. Balthasar progr. ad Schomer disp. de libris s. matriculis ecclesiasticis et c.

17. Balthasar, progr. ad diss. Heybergii, de iure usus in census-
su creditorum J. Lubenig. in eadem classe integre adjudicantis.
18. Balthasar progr. ad diss. de Paltenii, de favore depositi.
19. Balthasar progr. ad diss. Heyeri, de remissione in mercedis
in locatione praediorum rusticorum abingens damnum et
luc. pecuniam conductori contingens.
20. Balthasar progr. ad diss. ~~Heybergii~~ Schuffelii, de successione
ab intest. et iur. Lubenig.
21. Balthasar, progr. ad diss. Balthasari, de origine fluminum
in genere, praecipue oblatorum in pomerania horumque in
dale.
22. Balthasar, de poena adulterii.
23. Wytphul et Balthasar de Severissimo decem pomeraniae
meritis in rem literariam.
24. Balthasar de intellectus facultatibus ad voluntatem Dei spi-
ritus sancti ductu componendis.
25. Balthasar, de voluntate ad Angelorum Sanctitatem.
26. Balthasar, de iustificatione non physica sed personae ad
dictum resurrectionis Christi pie celebrandum.
27. Balthasar de electificatione spirituali.
28. Balthasar de diebus gentium tutelariibus ex antiquitate qua-
dam.
29. Balthasar en, et quatenus illud restauratae humanae
salutis medium ratione investigari possit.
30. Balthasar, de lucis religiosis.
31. Balthasar, de linguae usu et abusu morali.
32. Balthasar, progr. ad Ristum archangelis procreati
michaelis.

10.

32
55

PROGRAMMA,
 QUO
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
 DOMINO
ADOLPHO FRIDERICO IV.
 DUCE MEGALOPOLIS REGNANTE,
 PRINCIPE VANDALIÆ, SVERINI ET RACEBURGI, COMITE SVERINENSI,
 TERRARUM ROSTOCHII ET STARGARDIÆ DOMINO &c.
 ORDINIS SERAPHINI COMMENDATORE
 NEC NON AQVILÆ ALBÆ EQVITE.

AD FESTUM
**ARCHANGELI INCREATI
 MICHAELIS**

PIE AC DEVOTE CELEBRANDUM,
 IMITANDO STUDIUM ANGELORUM
 ALIIS INSERVIENDI,
CIVES ACADEMIÆ
 PERAMANTER INVITAT, EXCITAT
AUGUSTINUS de BALTHASAR
 J. U. DOCT. ET PROF. ORD. FACULT. JUR. SENIOR ATQVE DECANUS,
 REG. CONSIST. DIRECTOR, ACADEMIÆ JAM PRO-RECTOR
 ET SACRI CÆSAREI PALATII COMES.

GRYPHISWALDIÆ STANNIS STRUCKIANIS.



ANGELI isti boni, qui in veritate atque integritate sua, qua a Deo primum conditi fuere, perseverarunt, ac in beato isto statu a summo illo bono, cui adherere, confirmati fuerunt, quamvis eminentioris præ omnibus aliis creaturis sunt conditionis, quod a bono amplius deficere non possint, & quod semper videant faciem Patris cœlestis, *Matth. VIII. 10.* ac instar Ministrorum et Satellitum summi Numinis ejus voluntatem ubique ad nutum exsequantur. *Psal. 103. 20.* cultu tamen divino prosequendi haud sunt. *Apoc. XIX. 10. XXII. 9.* A nefando itaque crimine Angelolatriæ, quæ re vera est Idololatria, Pontificiorum secta semet purgare haud potest, quæ omniscientiam ac potentiam, soli Deo competentem, etiam Angelis tribuit, quando eorum tutelæ atque clientelæ se atque fortunam suam commendat.

A 2

Nos,

Nos, sanioribus principiis imbuti, sanctos hos spiritus, ob excellentiam suam, qua præ reliquis creaturis fulgent, merito debita reverentia veneramur ac memoriam eorum in nostra Ecclesia, in primis hoc die festo, Archangelo MICHAELI sacro, recolimus. Equidem variarum ordinum, ac variis nominibus insigniti in sacris literis inclaruere. v. *Büchneri biblische Hand-Concordanz v. Enzel. S. 18.* At, per Archangelum MICHAELEM, i. e. *Quis est, sicut Deus, cujus Apoc. XII. 7.* mentio fit, quod cum Dracone isto infernali prælium inierit, illudque in nostrum commodum feliciter gesserit, ipsum nostrum Servatorem, qui ab initio mundi certamen cum serpente suscepit, intelligi, vix est, qui dubitet. In hujus itaque honorem potissimum hoc festum celebramus, eique gratias, quas unquam mente humana concipere licet, agimus, quod hostem nostrum infensissimum debellaverit, & nos contra novos ac perpetuos insultus ejus protegat atque defendat, nec non sanctissimorum Angelorum fortissimum præsidium nobis concedat; horum enim tutela si ad unum momentum privemur, omnem piorum societatem uno halitu diffilaret infernalis iste Draco. Eaque ratione & Deo, & Archangelo nostro, Christo, gratum præstamus officium, si in naturam ac indolem horum sanctorum Spirituum inquiramus, eorumque virtutes suspiciamus ac imitemur, quo iisdem in pietate, integritate ac justitia, quantum imbecillitas humanæ naturæ capit, similes fiamus.

Cum autem hæc sancta cohors id sibi imprimis facessit negotii, ut hominibus interviam: Sic enim Apostolus ad *Ebræos I. 14.* scribit: *Nonne omnes sunt Spiritus inservientes, emissi in ministerium eorum, qui olim capient hereditatem salutis? præter eorum sanctitatem, castitatem atque integritatem,*

tatem, & quæ aliæ sunt, quibus splendent, virtutum species, hac vice considerandum sumemus *indefessum ipsorum aliiis inserviendi studium*, quo exemplum nobis præbent, quod imitemur.

Angeli natura sua trahuntur ad inserviendum & officia sua præstandum hominibus, dum eum in finem a summo hujus universi Creatore conditi atque ordinati sunt; Nil magis volupe ipsis est, quam pium gratumque hominibus exhibere officium. Hoc autem potissimum se se exserit in custodiendo eos in omnibus viis suis, ne forte ad lapidem offendant pedem suum. *Pf. XCI. 11.* ab omni malo ac periculo imminente. *Gen. XLVIII. 16. Matth. VI. 6.* nec non a peccato. *Num. XXII. 22. Lib. Judith. XIII. 20.* Hi sunt sexaginta illi fortes in Israel, lectum Salomonis & cujusvis pii circumstantes, gladiis fulgentibus instructi, & ad dimicandum parati. *Cant. III. 7. 8.* Hi sunt aheneus iste murus & igneum vallum, quo, exemplo Elifæ, fideles contra hostes suos, tam visibiles quam invisibiles cinguntur. *2 Reg. VI. 17.* Sunt vigiles isti, qui perpetuo pro piorum excubant salute, ne Diabolus, qui tanquam leo rugiens nos circumambulat & quarit quem deglutiet, *1 Pet. V. 8.* nobis damnum inferat; in periculis vitæ constitutis succurrunt, eosque feliciter iis liberant. *Gen. XLVIII. 16. Dan. III. 25. seqq. Act. V. 19. XII. 7. seqq.* Sunt currus Dei decies centena millia lætantium. *Psal. LXVIII. 18.* istæ quadrigæ, stantes coram Domino omnis terræ, *Hesek. X. 9. sqq. Zach. VI. 1. sqq.* paratæ ad excurrendum quaqua versum ad exhauriendum mandata sui Creatoris; sunt currus ille & equi ignei, quibus ELIAS vivus in Coelum fuit delatus. *2 Reg. II. 11.* His quadrigis anima nostra in cœlum subvehitur, postquam

decurso mortalitatis stadio, fati carceres egressi sumus.
Luc. XVI. 22.

Eandem naturam atque indolem, ad inserviendum aliis pronam, sapientissimus Creator universo generi humano indidit, qui, ut homines eo majori instinctu ad mutua sibi invicem præstanda humanitatis officia trahantur, omnes mortales ex uno stipite nasci voluit, ut scil. vinculo naturalis cognationis eo arctius adstringantur & ad mutua sibi invicem præstanda officia alliciantur. Terrarum ac ditionum dotes ita mirifice distribuit, ut nulla fere sit Provincia, quæ opibus alterius carere possit; satis indicio, voluisse supremum rerum dispensatorem mutuum inter homines florere mercium officiorumque commercium, terra marique colendum. Agnovit jam CICERO, Philosophorum Princeps, hanc Philosophiam in *L. I. de Natura Deorum*, quando inquit: *Homines hominum causa sunt generati, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent.* Et in LÆLIO: *sic nos nati videmus, ut inter omnes esset societas quædam.* Nil itaque magis naturæ humanæ convenit, nil magis natura humana præscribit, quam ut homo homini, quicumque etiam sit, ob eam ipsam causam tantum, quod is homo sit, consultum velit, teste eodem *L. III. Officiorum.* E contra, ab eadem nil magis abhorret, quam hominem homini insidiari, laqueos necere ac damnum necemque machinari.

Sancti Angeli officia sua, a Deo ipsis commissa, eadem promptitudine ac celeritate, quam integritate ac fidelitate expediunt; Ideo dicitur *Psal. CIV. 4. quod Deus fecerit Angelos suos spiritus & ministros suos flammam currentem.* *ad Ebr. I. 7.* Ita & hominem, quem Deus ad publicum evehit officium, vel eidem destinavit, ut olim Ecclesiæ, Reipubl.

ac

ac proximo suo inservire debeat, decet, officia sibi commissa prompto atque alacri animo summa cum integritate ac fide expedire; Respicit sedulo illud: *Dic, cur hic, & tempus esse breve, artem longam.* Nullum laborem, quem officii ratio exigit, reformidat, nec ullam diem abire finit absque linea; imminutis fractisque licet sanitatis viribus.

Sanctissimæ indolis Spiritus adeo intensissimo in procurandam hominum voluptatem feruntur affectu, ut maximam inde capiant voluptatem, si officio suo, hominibus inserviendi, bene fungi possint. Sic quoque nil gratius homini esse debet, quam si occasio ipsi suppeditetur, proximo suo inserviendi; In eo partes hominis saltem se implevisse arbitratur homo, ad indolem Angelorum compositus, si occasionem nactus fuerit proximo inserviendi, & quemvis diem frustra elabi judicat, quo nulla occasio aliis inserviendi ipsi affulserit.

Angeli sapius, quin immo, maxume nobis insciis officia sua præstant, *2 Reg. VI. 17.* quotidie enim & per singula momenta iisdem indigemus; Ita quoque decet hominem pium atque christianum vereque amicum, ultro & non rogatum officia sua aliis impertiri. Non ostentationis causa, ut famæ quid sibi conciliet, officia sua exhibet proximo, nec ex iis opus quoddam supererogationis sibi tribuit; potius ex interna obligatione ad inserviendum aliis semet obligatum sentit, & si omnia impleverit, se tamen nil, nisi quod sui fuerit officii, fecisse judicat. *Luc. VII. 10.* Verus ideo amicus non exspectat, quod ad officia amico præstanda precibus sollicitetur, sed sponte rebus amici invigilat, & ipso etiam inscio omnem occasionem eidem inserviendi arripit,

ripit, nec, si quid viribus suis inesse sentit, quod in usum amici sui vertere possit, intermittit. Et contra, si officia non exoptatum consequantur finem, amicus probus non ex effectu, sed ex animo amicum iudicat & officia menturat.

Quavis autem longe eminentioris conditionis præ aliis creaturis sint Angeli, omni tamen fastu expertes, officiiis suis omnibus piis Deoque charis, nullo habito respectu potentia, existimationis, divitiarum, vel alterius sortis humana, qua alius alium prævalet, suppetias ferunt. Exemplo inserviat GIDEON. *Judic. VI. 11. sq.* MARIA, *Luc. I. 26. sq.* LAZARUS, *Luc. XVI. 25.* aliique: sic & pietas ac naturalis inter omnes homines cognatio indiscriminatim pectora hominum mutua benevolentia ac officiorum nodis copulavit, ut quilibet mortaliū, ut ut præ aliis eminentiori dignitatis gradu fulgens, etiam infima sortis hominibus officia sua præstare obligatus sit, bene gnarus, *divitem æque ac pauperem sibi in societate humana obviare debere & Deum utrumque fecisse, Prov. XXII. 2.* Cogitandum potius, *eum, qui pauperibus inservit eorumque miseretur, honorare Deum. XIV. 31. eique mutuare. XIX. 17.*

Porro, spiritus hi cœlestes, ut ut exquisite ac maxima cum dexteritate summaque perfectione commissa expediant, gloria tamen haud cupidi sunt, nec elati fiunt animi. In hoc iplo suam quærunt voluptatem, quod officio suo bene, ad nutum Creatoris & in commodum hominum, functi fuerint. Ita quoque homines, quos Deus donis ingenii vel fortuna præ aliis exornavit, non humana sortis obliti, avium modo, quas naturalis levitas agit, inani ac puerili mentis affectu se efferre, sed potius cogitare debent, omnia hæc aliena esse & se jure saltem depositi eadem possidere in usum aliorum, quorum Dominus aliquando exiget rationes. *Matth. XXV. 14. sqq.*

Tandem

Tandem & hanc bonam indolem in Angelis conspicimus, quod nullam ob officia sua præstita exigant mercedem, vel expectent compensationem atque remunerationem; Gratias unice Deo servatas volunt, remuneratione autem non indigent. Sic quoque sinceri amici ac vere christiani est, absque spe lucri inde capiendi, vel expectandæ remunerationis, proximo sua offerre officia. Vani itaque, immo, profani hominis nota est, iis saltem humanitatis ac amicitia præstare officia, a quibus commodi quid, vel remunerationem quandam expectare poterit; qui ideo aliis beneficia exhibent, ut largiori manu recipiant; Hi amici ollares, Parasitorum more, non aliis, sed sibi inserviunt.

Denique, quamvis bonis inprimis a ministerio sint Angeli, eosque speciali curæ sibi commendatos habeant, attamen officia sua nec improbis denegant, quemadmodum Deus solem suum splendere jubet tam super bonos, quam malos, *Matth. V. 45.* & tam pios, quam impios in sua ecclesia tolerat usque ad messem iudicii extremi; *Matth. XIII, 30.* Sic etiam nostrum est, impiis, hæreticis, inimicis non minus, quam amicis nostris officia exhibere; exemplo Samaritani. *Luc. X. 33.* *Si enim diligitis eos tantum, inquit Salvator, Matth. V. 46. qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? & si saltem fratres complexi fueritis, quid eximium facitis? Nonne & Publicani idem faciunt? Estote ergo, addit, perfecti, sicut & pater vester, qui in cælis est, perfectus est.*

Haud tamen putandum, sanctissimos istos spiritus commercii quid habere cum impiis iisque ad negotia illicita exsequenda consilium vel opem suppeditare, vel ejusmodi quid ab hominibus exigere. Potius, ut columbæ fugiunt omnem

B fœtorem

foetorem, immunditiem: sic & Christianum non decet impiis semet afforiare, causisque eorum, pietati & bonis moribus advertantibus, inservire; vel in ejusmodi rebus illicitis officia ab amico exigere. Oportet enim nos amicis opitulari, sed usque ad aram. Nec quoque amici nomen meretur, qui officia exigit, quibus vis infertur conscientiae.

At enim vero, quæ misera hodie rerum nostrarum est facies?

*O miseras hominum mentes! o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ quantisque periculis
Degitur hoc ævi, quodcunque est.*

Quam proterve malitia hominum contra hæc omnia impingat, plus quam quotidiana, proh dolor! docet experientia; Quam verene se se habet proverbium; *Homo homini Deus, homo homini Diabolus?* Quid frequentius in ipsis rerum argumentis evenit, quam quod alter alterius famæ, bonis, immo, vitæ insidietur. Sane, homines nil minus, quam studio aliis inserviendi dediti, potius adverso adfectu aliis nocendi abrepti sunt; amicitiam plerumque simulant & odium in pectore foveant; mel in ore, & fel in corde habent; verbis tota plaustra officiorum promittunt, se servos humillimos profitentur, nil minus vero animo cogitant. Hi *Complimentistæ*, *Complimenten Schreyer*, Chamæleonti similes sunt, quod animal mutat sæpius quidem colorem, nescit tamen candorem & ruborem, quorum hic verecundiæ, ille sinceritatis signum, assumere. Hispanis in proverbio est: *Muchos besan manos, que querrían cortadas.* Viele küssen die Hände, die sie lieber abgehauen sehen möchten. v. DITHER in BESOLDO contin. voce *Compliment*. Est quoque genus hominum, quid re

re vera amicitiam profitentur, officia exhibent, ast levissime offensi, omnem acceptorum beneficiorum memoriam depouunt; de quibus valet, quod in proverbio dicimus: Wenn man einen solchen Freund auch nach Rom hintrüge, und setzte ihn vor dem Thor nur unsacht nieder, so würde aller voriger Dienst nicht geachtet; Immo, parum abest, quin amicitia in odium expiabile vertatur. Quid frequentius in ipsis rerum argumentis obtinet, quam quod alter alterius famæ, bonis, immo, vitæ insidietur. Abhorruere ab hisce vitiis ipsi Ethnici, Christianis adeo familiaribus. Audiamus Ictum FLORENTIUM in l. 3. ff. de *J. & F.* ita ratiocinantem: *Cum inter nos cognationem quandam natura constituit, cosequens est, hominem homini insidiari, nefas esse.*

Magis adhuc detestamur illorum dementiam, qui, vel unico verbulo offensi, omnem humanitatem exuentes, bestiarum instar tam crudeli furore in proximum irruunt, ut quamlibet levissimam injuriam non nisi atrocissima vindicta, vel etiam ipsa morte expiandam esse, censeant. Et quid dicendum, quando videmus, unius hominis, sæpe mera ambitione agitati, nutu miriades hominum instar bestiarum laniari, ac homines in bello se invicem trucidare, qui ne qua faciem quidem sibi innotuere, multo minus quidquam odii, vel diffidii, adversus se invicem aluere.

Tantum sane humana natura a prima sua concreata & cum bonis Angelis communi natura post lapsum primorum parentum declinavit, ut vix vestigium pristinae indolis supersit. Studete itaque, CIVES OPTIMI, hanc jacturam in vobis gratia Spiritus sancti restitui; Pietatem, innocentiam, integritatem, amorem ac studium inserviendi aliis, quod in san-

Etis Angelisprehendimus, semper vobis ante oculos ponite, & in has virtutes, tanquam in speculum inspicite. Officia vobis commissa & quæ olim vobis committentur, sedulo ac indefesso studio peragite, ut ut animi corporisque vires inde conerantur; nam & has Deo vestro & proximo debetis. Perpendite Emblemata hominis, quod est candela ardens, cum inscriptione: *Aliis inserviando consumor.* Donis animi, quibus instructi estis, utemini in honorem dantis, cui eadem accepta fertis, & in utilitatem proximi, cui a Deo destinata sunt; nec iisdem, tanquam alienis plumis ornati incedite, altiusque animos erigite; Precamini potius: *Es ist ja, Herr, dein Geschenk und Gab mein Leib, Seel, und alles was ich hab, in diesem armen Leben; damit ichs brauch zum Lobe dein, zum Nutz und Dienst des Nächsten mein, wollest mir deine Gnade geben.* Sic fideles eritis servi; quos olim manebit premium gratiæ Patris cœlestis, *Matth. XX. 8.* qui quemlibet vestrum allocuturus erit: *Euge! serve bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Porro, O MEI, excitari vos patiamini exemplo Angelorum ad amorem mutuum & studium interviendi proximo. Diligite non tantum atque bona officia præstare amicis vestris, sed & iis, qui male de vobis meruerunt, & qui vobis inimici sunt; tum maxime sanctis spiritibus, immo, sanctissimo Deo fietis similes, ut ipse Salvator *Matth. V. 44.* nos docet: *Diligite, inquit, inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro iis, qui vos offendunt & persequuntur, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Non tantum regulæ pietatis, sed & prudentiæ ac Politicæ hoc exigunt; Sic enim omnium sapientissimus *Libro Proverb. Cap. XV. 21.* hanc inculcat regulam: *Si esurit inimicus tuus, ciba illum pane, si sitit, da ipsi bibere aquam. Prunas enim cumu-*

cumulabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi. Quæ verba ab iplo mutuavit Apoft. *ad Rom. XII. 20.* Nil sane homini & vere nobili animo indignius habetur, quam si inimicum, cujus fortunam in manibus positam habet, inimicum suum animum sentire facit. Nil e contra magis gloriæ ipsi cedit, quam si ipsi, officia præstando, placati animi indicia prodit. Quemadmodum JOSEPHO coram Deo & sanctis Angelis honori ductum, quod a fratribus suis, pessime de ipso merentibus, postquam in eum statum a Deo evehctus fuerit, ut omnis salus eorum ab ejus nutu pependit, nullam vindictam sumserit, potius liberali animo iis condonaverit, & mali quid verentibus animum erexerit; non vanæ gloriæ cupidus, sed internam sentiens obligationem, precantibus veniam, lacrymis intermixtis *Gen. L. 19.* respondebat: *Nolite timere, nam sub Deo sum ego. Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum;* Colligite ex hoc ipso dicto, CIVES CHARISSIMI, Deum inimicis vestris saltem uti instar instrumentis & flagellis, quibus ipse vos castigat; quemadmodum DAVIDES cogitabat de SIMEI, ipsi maledicente 2 *Sam. XVI. 7.* Citra Dei voluntatem ne unicus quidem capillus vobis excidet, *Luc. XXI. 18. Act. XXVII. 34.* Quid itaque omnes malevolorum insultus? Si Deus pro nobis, quis contra vos? *ad Rom. VIII. 31.* A parte itaque vestrum non cessate officia præstare aliis, etiam inimicis vestris? Deus facile corda ipsorum vobis reddere potest propitia, ad minimum Angelorum ministerio tela illorum a vobis deflectet, ne noxia sint. Precamini saltem Deum T. O. M. ut vos committat curæ ac custodiæ sanctorum Angelorum, horum sub clypeo securi eritis contra telas Satanæ & omnium malorum hominum. *Castrametatur enim Angelus Domini in circuitu*

timentium eum; & eripiet eos. Ps. XXXIV. 8. Sitis itaque lucis, non tenebrarum filii, ut custodiant vos Angeli lucis. Metantur enim hi castra sua saltem circa *timentes Dominum*; qua re, ubi non est timor Domini, ibi quoque locum non habet Angelorum custodia. Timor autem Domini non est in eo, in quo peccatum regnat. Peccatum itaque abigit Deum, abigit Angelos, ut fumus fugat apes, prout dicit LUTHERUS *ad Cap. II. Epist. ad Ebræos.* Ne itaque offendamus ac contristemus hos sanctos Spiritus, monet Apost. *1. Cor. XI. 10.* jubens, *ut mulieres potestatem habeant in capite propter Angelos*; quo docemur, etiam gestu ac habitu offendi posse castissimos hosce spiritus. In animos vobis revocate BERNHARDI in *Serm. VI. in Ps. CI.* dictionem: *In omni loco, in omni angulo reverentiam exhibe tuo Angelo, nec illo præsente facias, quod me præsente erubesceres.* Exempla S. Scripturæ satis nos edocent, Deum T. O. M. Angelorum quoque ministerio uti ad puniendum homines, & illos summa agilitate summoque rigore eodem functos fuisse. v. *Lev. IX. 6. XII. 29. Ps. LXXVIII. 50. sqq. 2 Sam. XXIV. 16. sq. 2 Reg. XIX. 35. Esa. XXXVII. 36. Apoc. XV. 1. XVI. 1. sq.* Cavete itaque, ne lacestatis Deum vestrum, ut sanctorum horum spirituum ministerio, in præsidium vestrum alias destinato, in vestrum poenam atque perniciem utatur. Inprimis consideratio hæc de Angelis excitet vos ad variarum virtutum angelicarum studium, maxime autem inserviendi aliis in humilitate ac probitate. *Procul absunt*, inquit CYRILLUS in *Cap. VI. Esa. beati illi spiritus a superbis, qui nemini libenter inserviunt, aliorum autem servitiis saltem utuntur.* Angeli boni omnes per amice conspirant & unanimiter lætantur. Studete & vos ante omnia charitati ac concordia. Faciem vobis præstulerunt

runt

runt illa quatuor animalia angelica, *Ezech. I. 7.* quorum uno se movente movebantur singula, quia spiritus Domini animabat ea; Ita Christiani uno spiritu reguntur, *1 Cor. XII. 16.* In Angelis nulla invidia, nulla suspicio, nulla injuriæ meditatio. Sequemini hoc pium exemplum, quo magis a Satana laceffi soletis ad rixas, jurgia, duella. Deponite omnem animum rixandi atque cavillandi, qui in Angelis exulat. Potius in timore Dei & in angelicis virtutibus ambulate. Sic recte confidere potestis tutelæ Angelorum per omnem vitam vestram, immo, in ipsa morte, in qua vos circumdabunt & profligabunt omnia mortis terriculamenta; animam vestram, corporeis vinculis solutam, maximo cum tripudio ad summa cœli palatia sublevabunt. Ad quæ cœlorum gaudia nos ducat Archangelus iste increatus MICHAEL, qui sua cruenta victoria hanc opimam prædam nobis paravit; Hic est agnus ille, qui occisus est ab initio mundi, cui data est potestas & honos & regnum, & cui omnes populi, tribus & linguæ serviunt. *Dan. VII. 14.* quem Angeli & omnis creatura deprecabunt dignum accipere gloriam & honorem & virtutem, in secula seculorum.

Apoç. IV. II. V. 13.

P. P.


IN IP SO FESTO S. MICHAELIS
MDCCLIII.



33. Matthaeus, praegr. cum Regis dno Pontifici quoy Christi.
34. Matthaeus, praegr. cum Regis dno Quibus Christi.
35. Treiber, de excusatione Sinestrarum, cum Praeside Cuiusvis.
36. Treiber, de clausula codicillari.
37. Tresenreuter, de his qui heredes institui prohibentur.
38. Treues, de superstitionis conditoribus et propagatori-
bus.
39. Treues, de iurisdictione in iuris naturalae doctrina.
40. Treues, de decore gentium circa belli initia.
41. Treues, de auctoritate et fide gentium et reipub.
Hinc Credit dno Michaelis ino Mantua.
42. Tribbechovius de commerciis.
43. ——— ——— ——— ———
44. Trier, de iure stapulae civitatis Francofurtanae ad Viadrum.
45. Trier, de officio Ordinarii in academiis.
46. Troppanneger, de potestate electorum et principum im-
perii circa ius nobilitatis subditis suis conferendis.
47. Troppanneger, de dote non promissa praestanda.
48. Troppanneger, de momento temporis.
49. Helis, an fideicommissarius suavisior rerum sibi com-
missariorum dominus sit, propterea que rem ex venditi-
one aut permutacione rei fidei commissi subjectae ac-
quisitam licet fuerit, a possessore inter medio gravato, post-
modum alienata nihilominus tanquam rem sibi com-
missi subjectam, a tertio possessore vindicare possit.

50. Helis, de ^{jure} separatione in concursu Creditorum et utrum
 hoc jus in Salsatia superiori etiam post quinquennium locum
 habeat.
51. Helis, quousque parentibus licitum sit liberis suis hereditatem de-
 trahere et quid ad voluntatem parentum maxime unocupati-
 nam probandam requiratur?
52. Helis, si quis nomen cesarum sub condit. evictianis acceptet, an
 et qualem actionem habeat accipiens, adnegas, audentem periculo existens
 te: et c.
53. Helis, in quantum et quibus modis uxor pro marito valide se obliga-
 re queat? et quid hac in re cum primis in Salsatia superiore sit
 juris?
54. Helis, quousque superstes conjux, altera parte defuncta in bono-
 rum suppressione defendi, eaque ipsi competere queat?
55. Helis, an facti cum tertio contrahentis beneficio divisionis
 gaudeant?
56. Hoffmann. De origine, progressu et natura juris prudentiae
 criminalis germanicae.
57. Hoffmann, de revocatione testamentorum ex juris germanici
 principis explicata.
58. Hoffmann de coemeteriis ex archibus tollendis, non vobis, Pflanz
 des Gottschaldus vñl dau Nördlau.
59. Hoffmann, de communiōnis bonorum conjugum non nata
 re atque principis.
60. Hoffmann, de jure separandi allodium a fundo
61. Hoffmann, de donationibus propter nuptias.
62. Hoffmann, de jure consuetudinis.
63. Hoffmann, de die ac nocte nuptiali, non vobis, Goyzint Pflanz
 vñl der Goyzint Pflanz.

64, Hoffmann, nuptiarum secundarum tempora . in nuptiarum
quibus non ipse nuptiarum Ep^o P^opositus L^oca.
65. Hoffmann, observationes quaedam testamentariae.



imentium eum; *E*ripiet eos. *Pf.* XXXIV. 8. Sitis itaque
 is, non tenebrarum filii, ut custodiant vos Angeli lucis.
 antur enim hi castra sua saltem circa *timentes Dominum*;
 ubi non est timor Domini, ibi quoque locum non ha-
 elorum custodia. Timor autem Domini non est
 quo peccatum regnat. Peccatum itaque abigit
 Angelos, ut fumus fugat apes, prout dicit Lu-
 II. *Epist. ad Ebraeos*. Ne itaque offendamus
 ac. hos sanctos Spiritus, monet Apost. *1. Cor.*
 XI. *mulieres potestatem habeant in capite propter*
 Angelo. tur, etiam gestu ac habitu offendi posse
 castissim. In animos vobis revocate BERN-
 HARDI in. CI. dictionem: *In omni loco, in*
omni angulo ubi tu es, ubi tuo Angelo, nec illo praesente
facias, quod me *desceres*. Exempla S. Scripturae
 satis nos edocent. M. Angelorum quoque mi-
 nisterio uti ad pun. es, & illos summa agilitate
 summoque rigore eo. *Lev.* IX. 6. XII. 29
Pf. LXXVIII. 50. *sqq.* *16. sq.* *2 Reg.* XIX. 35.
Esa. XXXVII. 36. *Apoc.* *sq.* Cavete itaque,
 ne laceffatis Deum vestrum. horum spirituum
 ministerio, in praesidium veh. nato, in vestrum
 poenam atque perniciem utatur. consideratio hac
 de Angelis excitet vos ad variat. angelicarum
 studium, maxime autem inservien. militate ac
 probitate. *Procul absunt*, inquit *Cy.* VI. *Esa.*
beati illi spiritus a superbis, qui nemi. *viunt*,
aliorum autem servitiis saltem utuntur. *anes*
 peramice conspirant & unanimiter latantur. *os*
 ante omnia charitati ac concordia. *Facem*

